Setæ diffugiunt corpore: cornua
Decreſcuntq́, fit et luminis arctior
Orbis, contrahitur mox
Rictus, et redeunt manus,
Sic ipſi redeunt ac humeri: ungula
In quinos iterum lapſa reſolvitur
Ungues: reſtat in illâ
Formâ de bove nil niſi
Candor membra levans officio pedum
Io erecta duorum, metuit loqui,
Ut ne more juvencæ
Clamet, verbula deniq́
Intermiſſa retentat. Celeberrima
Turbæ linigeræ nunc colitur Dea,
Hinc de ſemine tandem
Supremi Jovis editus
Vaccâ matre Epaphus creditur impiger,
Patri juncta tenet templa per oppida:
Huic æqualis et annis
Prorſus atq́ animis fuit
Perclarus Phaëthon Sole ſatus patre:
Quem quondam audierat dicere grandia,
Phœbo Patre ſuperbum,
Nolentem et ſibi cedere,
Præclari ſoboles non tulit Inachi:
Tu matri temere credis, ait, tua
Cuncta, et ſtulte ſuperbis
Falſi patris imagine.
Ad probra hæc Phaëthon erubuit tumens
Iram, dum puduit ſe, tenuit ſuam;
Ad matrem Clymeneq́
Verba iſthæc Epaphi tulit: